

ga. 60.

DE
HISTORIAE UNIVERSALIS
IDEA ET METHODO

AVSPICE DEO
RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO

C A R O L O

DVCE WVRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE
Rel. Rel.

AMPLISSIMI SENATVS CONSENSV
PRO LOCO IN PHILOSOPHICA FACVLTATE
RITE OCCVPANDO
DIE 3^{VL.} MDCCLXXVII
DISPV TABIT

CHRISTIAN FRIEDER. ROESLER,
PHILOS. MAG. PROFESSOR HISTOR. PVBL. ORD.
RESPONDENTE

IACOB. CHRISTOPH. LUDOV. VISCHER,

Vayhingenſis

MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATO ET SERENISSIMI
STIPENDIARIO.

TUBINGÆ
LITTERIS SCHRAMMIANIS.

HISTORIAE UNIVERSALIS
ODIUM METIO

ASPIRE DEO

REGIOTUR DINERIS TUTA' 21892939162 CAROLINA

OMNIS AVATORIUS DAN.

О И М О д

O J O H A S

A circular library stamp with a double-line border. The outer ring contains the text "DER UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK HALLE". The inner circle contains the text "BACCO MARCIUS".

UNIVERSITATIS CONSENSU
HALAE MAGDEBVRGICAE

THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

— ОБИАЧУЕ *173* ДЕТЯ

— 377. MDCCCLXXXII.

CHRISTIAN FRIEDER. ROESSLER



Cum gravis & multiplex, præsertim hoc nostro tempore, querimonia inter doctos viros orta est de consuetis artium scientiarumque Compendiis, qua ad tradendas illas adhiberi solent, ut fere ipsum nomen in ludibrium abierit atque in contumeliam; tum in primis autores quosdam præstantiores ejusmodi libellos, qui ad historiam universalem pertinent, multo aliter dispositos informatosque velle passim invenimus. Ea res non poterat non in memoriam nobis redire, ex quo eam scientiarum partem publice docendi negotium nobis a SERENISSIMI PRINCIPIS gratia, Senatusque Academici favore datum est, movebatque nos, ut consilia atque instituta ad emendandum

A 2

hoc

hoc genus literarum relegeremus, diligenter ad usum adhibiti-
turi, si qua nobis rectiora viderentur atque rei & tempo-
ribus consentanea. Quibus deliberationibus orta est hæc
commentatiuncula, qua nostrum potius de universa re judicium
ferre voluimus, quam aliorum præcepta severius atque insi-
lentius dijudicare.

Nor. Nostra quidem ætate in primis **GATTERERO**, Viro clar. uti hi-
storia omnis ita universalis illa, de qua disputamus, non parum debet.
Is enim super modo docendæ scribendæque historiæ paulo subtilius
philosophari coepit, compendiumque historiæ universalis conscripsit,
quod multos cum admiratores cum imitatores invenit. Qui libellus,
quamvis multa accuratius, atque ad docendum discendumque aptius
dicta contineat, locum tamen reliquit **SCHLÖZERO**, viro doctissimo,
qui ante aliquot annos nuperque iterum novam aliquam hi-
storiæ universalis ideam viris doctis proposuit, a quorum uno cum ita
exceptus fuerit, ut publice litigandi causam habere sibi videretur,
vindicias inde acceperimus, ideam illam noviter propositam amplius
~~illustrantes.~~ v. **GATTERERS Handbuch der Universalhistorie**, Göttingen 1761. (*Einleit.* §. 14.) **SCHLÖZERS Vorstellung der Uni-**
~~versalhistorie zweite veränd. Aufl.~~ **Göttingen 1775.** **Vorstellung seiner Uni-**
~~versalhistorie zweiter Theil,~~ 1773. Alia consilia utiliter compo-
nendæ historiæ universalis dedere e. c. Rev. **MÜLLER System.**
Anleitung zur Kenntniß auserlesener Bücher §. 49. p. 63. sq. **Cl. SUL-**
ZER kurzer Begriff aller Wissenschaften §. 42. 43.

§. 2.

Et profecto ingratum fuerit atque etiam ineptum eos,
qui meliora suadere audent cupiuntque, audire nolle,
propterea quod a longæva consuetudine abhorreant, maxime in
his

his rebus, quæ, si recta sunt, magnam utilitatem adferunt, si prava, multa incommoda veteresque alunt errores. Ex eo autem genere compendia doctrinarum esse, nemo facile negabit. Sunt enim ut prima scientiarum elementa, quæ ad disciplinas ingenium formant, ita multorum una in quaque arte sapientia. Vnde fit, ut quæ in his adornandis peccata committuntur, latissime pateant, totaque fere vita luenda sint. Igitur eorum quidem audaciam, dicam an impudentiam nunquam satis reprehendere potuimus, qui, ut sëpe nunc fit, a scribendis compendiis fere initium artis vel docendæ vel adeo descendæ faciunt: tamen neque ferendam esse arbitramur eorum pertinaciam, qui novam quamque methodum calumniantur, cui non ipsi fuerint a pueris adsuetti. Quod in historiæ universalis disciplina omnium iniquissimum videri debet, quæ nullo non tempore varia ratione ab auctoribus tractata fuit.

Not. Föret hic locus, criticam quandam recensionem librorum in hoc genere optimorum, qui adhuc comparuere, faciendi, compendorum in primis, methodique, qua usi sunt auctores. Sed passim quædam obvenient in ipfa scriptione. Reliqua melius patebunt iis, qui virorum doctorum operas recentiores GATTERERI, SCHLÖZERI, HAVSENI, REMERI, SCHRÖCKHII, LORENZII, BAVMANNII, ZEPPLICHALII, cert. inter se diligentius comparabunt. De antiquioribus universalis historiæ libris, qui, quoniam plerique multis literis aut volumini bus magnis continentur, atque etiam propter alias causas lectionibus aut initii capiendis haud satis apti sunt, vide *Bibliothecæ historicæ selectæ STRUVIANÆ* (emendatore BVDERO) Tomum I. cap. 7. pag. 104--158. Facile intelligent lectors, multum a se illos omnes diffi-

dissidere historie universalis auctores, tum quod de objecto illius
haud satis convenient, tum quod ipsa rerum enarratio atque dispo-
silio mirifice apud ipsos variet, qua de re vide SCHLÖZERS *Vorstel-
lung zweier Theil* §. 13. pag. 252.

§. 3.

Quorum utrumque dum in vitio ponimus, alterum, quo-
niam sine multo & longo usū, qui doceat nos utilia & necel-
faria distinguere, eaque circumscripte perspicue & ordinate
tradere, ejusmodi institutiones scribi non posse credimus, al-
terum quod a superstitione, incrementa scientiarum vehe-
menter impediente, parum absit; sane eos, qui ad quandam
artem docendam accedunt, non ita excludimus, ut aut de
libris jam editis aut de methodo, qua in hac illave Scientia
utendum sit, Scientiam iis dicere non liceat. Enimvero
hoc iis in primis concedendum esse opinamur, ut tum ipsi
ejus rei rationem apud se ineant, tum ceteris, quales se præ-
stituri sint, commonstrent. Neque illa satis æqua videtur
esse postulatio, quam vulgo afferre solent, ut quisque quod
in ceteris desiderat, ipso factō exhibeat, quod licet efficere
nequeat, vituperationem non omnino reddit inutilem. At
ista cautionē opus habebit, ut ne absoluta decreta scribat,
sed melioribus Consiliis errores veteres moderate expellat.

Not. Hæc, quo fine dicta sint, qui satis intelligere cupit, legat quæ exstant
in libello jam allegato, h. c. SCHLÖZERS *Vorstellung seiner universal
Historie 2. Tb. §. 15. p. 258.*

§. 4.

Disputamus itaque de solida & Compendiaria in primis tractatione historiae universalis. Et sane, cum hanc qualcunque disciplinam hoc nomine compellem, mihi quis in animum revocem libellos eos, qui docere istam voluerunt, vehementer eisdem dubito, utrum auctores eorum aliam omnino rem isto nomine insigniverint, an quod magis verisimile est, tituli, quem institutionibus suis praesigebant, sub ipsa scriptione & rerum collectione oblii fuerint. Nam observamus fere, praelatos viros bene de universa re philosophari, qui cum paulo post res gestas narrare incipiunt, earum ad universalem historiam habitum aut vim parum animadvertisse videntur.

Quicquid autem ejus rei fit, hoc certe videre mihi video, libros eos, qui historiam universalem tradere pollicentur, hoc potius agere, ut Homerum, quod in proverbio ajunt, in nuce dent i. e. ut res gestas omnes breviter vel politis solum nominibus obscure ostendant potius, quam declarant, atque ita universam, totam historiam, quantum capere possunt angustiae libelli, constringant, quae memoriam acerrime exerceat, conditionem mundi aliam ex alia parum explanet, neque intellectum humanum prudenter instruat. Quantum detrimenti bona res inde passa sit, dici vix potest. Seimus enim, multos celerrime fastidio quodam & satietate ab historiae studio abalienatos esse, cuius prima elementa

adeo

adeo tum molesta , tum inutilia inveniebant , multos etiam ad specialem provinciarum historiam ejusque cognitionem inverso rerum ordine transiliisse , quam non poterant , adhibita etiam omni opera , nisi male discere , quod cum fatis univerbi i. e. cum fundamentali historia conjungere eam nescirent . Hunc enim usum præter ceteros tanquam sibi proprium præstat historia universalis & præstare debet , si bene excolatur , ut basis sit historiae omnis , qua pars quæque cum toto , justo ordine , cohæreat .

§. 6.

Præceperunt igitur omnes atque etiam nunc præcipiunt , ad studia historica si quis velit animum applicare , ut primo loco discat historiam universalem , indeque capiantur primordia . In ea re nihil est , quod vituperemus , sed enitendum , ut aut hos suasores , aut certe rem qua fieri & possit & debeat , bene intelligamus . Quid igitur , quid tandem rei putemus esse historiam universalem ? Sitne recensio brevis (de Compendiis maxime loquimur) & vero gestorum notatu dignorum a mundo condito ad nostra usque tempora ? Jam de brevitate nihil monebo , cum multa in his libris adeo breviter dicta sint , ut vel nuda nomina subinde historiarum loco adscripta videamus , unde quid sapere velit discipulus , equidem non intelligo . Sed notatu digna sint omnia ! Audio . Nempe ex eo genere sit Caligula equus ? an Neronis lasciviae ? an forte Cornicula Domitiani mortis prænuntiatrix ? quæ si verissime cecinisset , certe in historia universalis non debe-

debebat audiri. At vero, quod notatu dignum dici possit, nisi accuratius circumscribatur, pro variis hominum studiis varium est. Illusoria Apellis ars delectabit pictorem artiumque liberalium amatorem, mille aliis in illa re nihil est admodum notatu dignum. Igitur quidquid ex omni historia decerpseris, erunt fortasse homines, qui sibi illud notaverint, multo major pars contemnet ejusmodi mirabiles fabellas. Quo pacto monstrum prodibit historiae universalis, quod cum singularis placere velit, universis displicebit.

Quæ de historia universalis fundamenti loco studio historico subjicienda monuimus, cum iis possunt comparari, quæ habet BAVMGARTE-
NIVS in præfatione ad Tomum I. mundi universalis historiæ anglicæ
P. 34. seq. & cel. GATTERERVIS in *Compendio historiæ universalis*
§. 13. p. 57. qui; fundamenti loco, ait, necessariam esse bene conscrip-
tiam historiam universalē, ut origo & successio regnorum & statuum
mundi Commode intelligatur. Nos ut prius illud vehementer pro-
bamus, ita nollemus, quod addidit consilium, tanquam caput rei
commendare. Etenim fuerunt & sunt multæ in mundo res publicæ,
quarum tum origines tum reliqua fata egregie ignorat historia uni-
versalis. Præclare autem, quamquam breviter, de utilitate ex hi-
storia universali capienda differuit Clar. SCHROEKHVIS in *Compendio*
universalis mundi historiæ §. XI. p. 26. sq. & clar. SULZER I. c. §. 42.
ex antiquioribus laudem tulit Io. Henr. BÖCLERVS. qui de eadem
re commentatus est, differit. acad. T. I. p. 1156.

Ceterum ad ea, quæ de Apelle monuimus, hoc addamus, nos
quidem in universali historia commemorationem ejusmodi exemplorū
non repudiare, si quidem eo fine atque ita adponantur, ut
inde vis, progressus, exploitio artium rectius queat cognosci. Igi-
tar felicenda erunt & proferenda, quemadmodum dicta sæpe aut

facta magnorum hominum, quamvis minuta, referri solent, unde illorum animus ratioque agendi magis vividiusque, quam e verboſa descriptione, patet. Tum vero non tantum mirifice delectant, sed & ſolide erudiant.

§. 7.

Sed in hoc ipſo erratum eſt a plerisque, quod in historiam universalem recipiendum eſſe putarent, cum *quodcunque* vel excellens vel ſingulare aut mirabile ullo modo videri queat, tum populorum *omnium* origines inprimis, & fata: (Nam eos ita apud ſe ſtatuifſe, docent libelli ab ipſis in hoc genere scripti) Cum nonniſi id eo pertineat, quod in historia *universalis*, *quatenus particulari cuique opposita eſt*, eminet, atque eminere apud scriptorem debet. Quod quale fit, de eo noſtram accipe, benevole lector, ſententiam:

Not. De originibus itaque gentium præcipue ſolicii eſſe ſolent novi historiae universalis auctores; in his cel. GATTERER, l. c. ad §. 5. & cl. SCHLÖZER in *prefatione ad alteram Compendii editionem*, quorum uterque in enumerandis & optimo ordine diſponendis terrarum populis laudabilem operam poſuit. Ea vero quam moderate ad historiam universalem ejusque compendia adhibenda fit, deinceps videtur.

§. 8.

Historia certe, quæ universalis dicitur, non eſt omnium omnis generis factorum aut populorum hominumve quamvis adſtricta enarratio. Ejusmodi historiæ vel brevissimam ſum-
mam

mam unus liber, unum volumen certe vix caperet. Neque etiam illud audaciam in ea re tuam excusaret, quod notabilia solum recensere velis. Ea enim quum, ut diximus, varii generis sint, primum hoc foret significandum, quo sensu aut fine illustriora sint, quæ tu quidem afferenda promittis. Sed ut totam rem planius edisseram, subesse mihi videtur error grammaticus eorum, qui historiam universalem sumserunt pro *omni*, *universa*, quod sane est contra usum linguæ interpretari. Ea enim vox, quam apud veteres probatosque auctores nisi in *libris* ad HERENNIVM atque apud PLINIVM non invenimus, omnium rectissime ex analogia atque exemplis dijudicanda erit. Notat autem id, quod commune est sive pluribus sive omnino omnibus, latiusque in suo genere patet. Igitur historia universalis ea est, quæ nonnisi ejusmodi facta & gesta recenset, quæ ad *communia mundi* & *populorum fata* communesque rerum vicissitudines referenda, aut causæ earum fuerint. In his, ut insignia quædam ponam, sunt christiana Religio, migratio populorum, emendatio fidei, uno verbo negotia omnia, quibus major pars universi nobis cogniti implicata erat, aut mutationem aliquam passa est. Hanc quidem ideam, si nihil aliud, certe analogia linguæ confirmat. Cum de *universalis* bello, ut hoc utar, sermo sit, sine dubio non intelliges, nisi commune h. e. ad quod populi complures & potentiores concurrunt. Medicina vero universalis ea fuerit, non quæ Simplicia & Composita, quæ officina servat, omnia in se una conjungit, sed quæ

ad morbos omnes sanandos valet. Similiter historia universalis est Complexus earum rerum, hominum, gestorum, quæ non unum populum sed plures atque adeo universum attingunt afficiuntque. Vnde, quid ejus quædam summa aut breviarium comprehendere debeat, in universum facile est judicare. Ejusmodi res maxime colligit atque declarat, quæ cum ipso facto ceteris sunt certiores, tum latius ad populos patuerunt.

Not. Itaque non probamus cum docendi modum, quem BERGERVS multique alii, imo fere omnes tenuere, cum *historiam universalem* eam dicerent, quæ complectatur origines & fata rerum publicarum omnium. „*Die Staats oder Reichshistorie*, ait ille in præfatione ad „tabulas Synchronisticas, bemerkt, wie die Reiche und Staaten auf „kommen; und was darinnen für Veränderungen vorgefallen; und, wo „dergleichen Vorstellung von allen insgemein geschiehet, heifst eine all- „gemeine, und bingegen, wo nur ein gewisses Land oder Zeit bemerkt „wird, eine absonderliche Historie. „ At vero universalis ne unius quidem populi integrum historiam, multo minus omnium aut exponit aut exponere debet, sed terras omnes, regna & imperia per vagatur, undique ea feligens, quæ humanum genus quaque ætate maxime formaverunt & gubernaverunt.

Interpretationem autem nostram vocis *Universalis universale* illustrabimus iis, quæ apud GESNERVM in *Theſ. Lat. Ling. IV.* 1089. legimus: „*Universalis, le, ναῦσινον: Onom. quod ad omnes pertinet.* „Auct. ad BERENN. 2, 37. c. 24. Nam hujusmodi in rationibus „non universalis atque absoluta sed extenuata ratione expositio con- „firmatur. GRVTER. leg. *universa*. PLIN. *Epift. 10, 71. 2.* Nihil in- „veniebam aut proprium aut universale, quod ad Bithynos ferre- tur. vid. QVINT. 2, 13. „ Vide sis interpretationem tum græcam

tum

tum latinam. Fides catholica (*universalis*) sane non est professio omnium societatum Christianarum, quæ valde inter se discrepant, sed fides, qua communis est omnibus, sive ex interpretatione latina, quæ ad universos Christianos pertinet, qua omnes inter se communicant.

§. 9.

Deinde etiam ipse ordo, quo ista historiæ pars discedenda est, atque tacita quædam Lex, quæ literarum Cultoribus, imo omnibus bene & liberaliter educatis hominibus istam scientiam commendat, eandem exposcere videtur aut supponere notionem. Ab ea studium historicum incipit profundamento ab omnibus subjicienda, qui historias quascunque discere, aut his literis suam diligentiam exercere velint. Desideratur in iis, qui vel ad aliam, minus conjunctam cum Studio historicō, eruditionis partem animum applicant. Nimirum hos non pudeat, res eas ignorasse, quæ in hoc illo-regno contigere, at profecto parum decet, nescire ea, quæ universi faciem subinde mutarunt. Reliquos autem apertum est, tali summorum Capitum recensione, ordinem quandam, a rebus magis, quam a temporibus pendentem, discere, atque ansas quasdam accipere, quibus postea reliquas historiarum partes & ordinatius intelligere & certius tenere queant.

Not. Unde videtur historia aliquibus dicta *universalis* a communi potius usu & necessitate, quod ea vix carere homines ingenui queant, quam ab objecto i. e. a communibus populorum aut mundi satis. Nec nos quidem ita sentientibus vehementer repugnaremus,

nisi opponeretur particulari, speciali unicuique historiæ, quæ denominatio procul dubio sumta est a materia. Priori autem sensu non-nunquam *fundamentalis* nuncupata fuit historia universalis, quo titulo a KRETSCHMARO nuper accepimus ejusmodi libellum, „*kurzer Abriss der Bürgerlichen fundamental Historie.*“

§. 10.

Imo quasi a fictione quadam ad Comprobandam Lectoribns ideam nostram progrediemur. Optanda certe fuerit talis quædam historia, quæ ejusmodi homines maxime monstraret, eos tantum casus, eas unice mutationes exhiberet, quibus populi terrarum plurimi *principiique*, ex quoque tempore nobis cogniti, amplificati, emendati, turbati, dissipati fuere, quæ describeret nobis faciem, quam non tam mundi hæc aut illa pars, quam orbis terrarum regimine, moribus, scientiis, religione subinde obtinuit. Generalia ista mundi populorumque fata quo tandem nomine compellaveris? Dices sine dubio historiam *universalem*, communem, quæ hoc ipso ceteris partibus & præstantior & magis necessaria est, quo magis interest totum nosse quam partem. Simul autem intelligis, hanc eandem historiam, si non apud auctores nostros hac lege composita adhuc fuerit eam, tamen ferre ideam, atque hoc pacto conformandam fuisse, si digna velit esse nomine suo.

Not. Ea fictione tanto magis opus habemus, quo securius subscribimus CI. SCHLÖZERO, qui negavit esse inter recentiores historiæ universalis auctores, qui istam ideam aut in mente conceperit aut opere diligenter persecutus sit, vid. *Ideal der Weltgeschichte* §. II.

pag.

pag. 237. Sed malo integrum locum adiicere, qui, quid ab historia
 universalis exspectemus, perspicue admodum declarat: I., wäblet sie
 „aus dem ganzen Hanfen des Aggregats (d. i. aller special Geschich-
 „ten) nur diejenige Völcker aus, die in der grossen Gesellschaft so
 „zu sagen den Ton gegeben, und verschmähet die übrigen. Sie wäb-
 „let sie nicht nach dem Rufe ihrer Thaten, nicht nach dem Reich-
 „sthum ihrer Geschichte, nicht nach ihrem Verhältnisse zu unsrer Re-
 „ligion, zu unsrer Regierungsform, zu unsrer zeitigen Literatur;
 „sondern bloß allein zu ihrem Einfluß in das Ganze oder in grosse
 „Theile der Welt. Folglich erobernde Völcker, die den Erdkrais ver-
 „wüster haben — michrige Völcker, die ihn ohne große Eroberun-
 „gen verschönert haben; endlich Hauptvölcker, die beedes zugleich ge-
 „haben. Zwar jeder neuentstehende oder aus der Geschichte weg-
 „sterbende Staat ist eine merkwürdige Erscheinung für das ganze, und
 „folglich einer Verzeichniß wertb, aber wenn sie gänzlich leer von
 „grossen Weltbegebenheiten sind, so stehen ihre Nabmen ... in der
 „Weltgeschichte, blos wie die Nabmen gekrönter Taugenichtse in der
 „special Geschichte, blos wie chronologische Bestimmungen da. II. So
 „sorgfältig sie in der Wahl der Völcker ist, die sie vorzüglich ihrer
 „Beschreibung würdiger, eben so zärtlich und absichtlich verfährt sie
 „auch in dem Detail dieser Beschreibungen. Aus dem Wuste von
 „Nachrichten — sondert sie nur diejenige ab, die es charakteristisch
 „kennen leren, nur wirklich große Handlungen, nebst den Triebfe-
 „dern derselben, die theils in der Beschaffenheit seines Landes und
 „der Menge seiner Bürger, theils in seiner Staatsverfassung, in seiner
 „Gesetzgebung, in seiner Cultur, in Sitten Religion und Wissenschaften,
 „in seiner Industrie im Landbau, Handel und Manufacturen liegen:
 „alles übrige ist Schlake für sie — III. Nun ziebet sie diese Hau-
 „theile ... enger zusammen, bringe sie unter einen Gesichtspunkt u.s.f.
 „§. II. Mir ist von neuern Schriftstellern Niemand bekannt, der
 „diesen allgemeinen Blick, der das ganze umfasses, zum character der
 „Weltgeschichte gemacht — hatte.

§. II.



§.

II.

Quod cum omnibus quam certissime persuadere cupimus, opportune in mentem venit totius causæ quoddam exemplum, quod facit ad illustrandam hanc disputationem, a re non obscura petendum. Historiam *Imperii Romano Germanici* vario modo condidere multi doctissimique scriptores. Quorum libros si attento animo intueamur, facile cognoscemus, eos omnes nullo modo comprehendere voluisse *partium*, quæ ad Imperium referuntur, *sive omnium sive potissimum* ut Austricæ, Bavariæ, Saxoniciæ cet. quantumvis breves (*speciales*) historias; & si qui forte ejusmodi quid consecerint, hoc certe non historiam *Imperii* sed *Statuum Imperii* nuncupare ausi sunt. Historiæ autem *Imperii* auctores ea ejus fata maxime exposuerunt, quæ universum illud potius, quam ejus hanc aut illam partem attigerunt, ejusque formam in uno aut altero genere mutavere. Ratione plane simili historia universalis aut universi non est collectio, quæ sit ex originibus & fatis populorum omnium, quemadmodum historia *Imperii* non immoratur originibus aut particulari historiæ. e. g. Cujusque urbis Imperialis aut etiam provinciæ, quæ partem constituit *Imperii nostri Romano Germanici*, sed iis maxime, quæ habuere communia.

§. 12.

Igitur me aliquantum ab iis dissentire profiteor, quibus historia universalis aggregatum videtur esse *sive corpus quoddam aut collectio specialium omnium historiarum*: quod

ita

ita quidem esse videtur, si auctores, non quid promiserint,
sed quid præstiterint, judicemus. Si enim ita optime suam
provinciam administrasse opinantur, ut, quæ quoque tempore
singularia atque inusitata evenerunt, diligentissime adnota-
verint: imo vero synchronisticas tabulas adjungunt, con-
struuntque sic, ne nomina certe desint loco historiarum.
Neque nos ii sumus, qui sive tanquam inutiles eas aut su-
pervacaneas rejiciamus, sive conspectum historiarum specia-
lium non valde commendemus. Ceterum hæc idea est hi-
storiæ promiscue universæ, non universalis, quæ generalia
tantum sive communia terrarum orbis fata requirit, neque
vero speciales illas regnorum historias quamvis artificiose
compositas.

Not. SCHLÖZER, *Ideal der Weltgeschichte* p. 230. „Man kann sich
„die Weltgeschichte von einem doppelten Gesichtspunkte vorstellen: ent-
„weder als ein Aggregat aller Special-Historien, deren Sammlung
„falls sie nur vollständig ist, deren bloße Nebeneinanderstellung auch
„schon in seiner Art ein Ganzes ausmacht; oder als ein System, in
„welchem Welt und Menschheit die Einheit ist, und aus allen Theilen
„des Aggregats einige in Beziehung auf diesen Gegenstand vorzüglich
„ausgewählt und zweckmäßig geordnet werden. §. 10. Ein Aggre-
„gat der Weltgeschichte existiert, wenn das ganze Menschengeschlecht
„in Theile zerlegt, alle diese Theile vollständig enumerirt, und die
„von einem jeden Theil vorhandene Nachrichten richtig angegeben wer-
„den.“ inde Lectoribus patet, nos nonnisi in eo clarissimo vi-
ro aliquantum repugnare, quod cum ceteris fere illud Aggregatum
universalis historiæ titulo decoret, qua in re nos contra disputare
ansii sumus. Plane autem ad mentem nostram sunt, quæ idem p.
298. §. 42. pronuntiavit: „Solbergegestalt bleibt die allgemeine Welt-
ges-

„geschichte der Anlage und dem Aeuffern nach eine allgemeine Staats-
geschichte.“ Et talis etiam universalis historia in tabulis synchro-
nisticis reperitur, inter quas SCHRADERI, BERGERI, GATTERERI,
HENRICI a TRANZSCHEN his nostris diebus aut primum aut rursus
prodierunt celebrioresque factæ sunt. Illæ quidem misifice adjuvant
studium historiæ universalis; at hanc ipsam revera non docent.

§. 13.

Neque autem difficultas rei nos a justa ejus idea de-
bet absterrere, quod esset pusilli animi. Quod nemo unus
~~adhuc historiam eo sensu universalem aggressus fit~~, id quidem,
ut sit, facile erroribus locum dare poterit, sed & excusa-
tionem apud æquos rerum judices admittet. Requirit enim
ea res diligentem atque exercitatum speculatorum, qui non
in angulo mundi hæreat, sed ubique terrarum habeat oculos,
unoque quasi obtutu universum compleetur, cujus e-
parva sæpius re prodit novum σχῆμα. Neque etiam nos,
dum talem ~~εγνωστην~~ exoptamus, propterea veterum diligen-
tiam invidiose contemnimus, qui dum historiam universalem
nobis delineare præ se tulerunt, historiæ universæ potius
compagem & summam nobis exhibuerunt, quæ suo modo
& utilis & tironibus necessaria poterat esse, alteram non
reddeabat superfluam. Nam ut libellis illis insit adgregatum
historiarum specialium, in quo tamen magna sæpe est &
temporum & rerum confusio, tamen ibi non video univer-
salem, communem, generalem illam mundi historiam, de
qua diximus, aut eam quidem cum infinitis rebus minutis
fabellisque commistam, quæ eo nullo modo referri possunt.

Not.

Not. Nos heic & in seqq. quasdam criminaciones depellere velle, quæ vel vere oblatæ sunt, vel offerri possent, haud difficilis est divinatio. Legat, lector, si placet, Cl. SCHLÖZERVM, *Vorstellung der Universalhistorie zweet.* Tb. p. 258. sqq.

§. 14.

Deinde illud etiam quodammodo verum est, *ea ratione historiam universalem habituram esse multum arbitrarii, & quod a conditione, philosophia, natione pendeat auctorum, quibus fere rebus nobiliora facta metiri soleamus, ut vel ob hanc causam de rebus iis, quæ ad hanc communem historiam referendæ fuerint, inter eos nunquam convenire queat. Id in quibusdam causis locum invenire posse, non negamus. Eo autem magis opera danda est, ut quod de historico quovis admonetur, de eo maxime valeat, qui historiam universalem conscribere vult, ut sine patria sit, sive certa arte aut professione.*

§. 15.

Forsitan porro contra quisquam dixerit: Si *το νοιον* in fatis populorum efficiat, ut ad historiam universalem referenda sint, *per pauca fieri aut esse historiae universalis objeta: præsertim de præsca aetate,* quæ nobis haud multa reliquerit monumenta ejus generis fide digna, unde generaliores causas formasque varias universi potius, quam hujus illiusve populi, intelligere possimus: Forsitan plura secula vix unum atque alterum casum continere, qui humanum genus universum affecerit. Igitur cogitemus, nihil in eo esse detrimenti,

C 2

menti, si quidem nostra hæc historia aliquantum brevior atque angustior evadat, quod sine dubio fit cum ista nota aliena, quamvis ob alias causas scitu digna, segregemus: Ceterum in adversa etiam parte modum tenendum esse, tenerique posse, quem res ipsa suppeditat. Facile enim observamus, unamquamque hominum ætatem in quadam mundi parte suum quoddam theatrum habuisse, in quo eminuerit hic, ille populus, reliquis aut subservientibus aut otiose spectantibus. Jam hæ scenæ, hi actus, scenarumque & actuum mutationes primaria historiæ universalis capita sunt, tum quod reliqui fere homines aut suum eo contulerint aut inde passi sint; tum quod historia certe omnis omnia reliqua eo referat, cum iis conjungat & comparet.

§. 16.

Vnde nequeo vituperare eos, qui historiam universalem ita proposuere, ut ejus populi fata, conditionem, Reges, bella quasi in fronte ponerent, qui præ ceteris vi & armis & ingenio & amplitudine valuit certo tempore. Quod tamen studiosi historiarum non intelligere debent sic, ut una ejus populi historia conficiat historiam universalem, sed ut assumatur loco filii, quo facilius, ordinatius ad discendum retinendumque aptius ea capita edifferantur, quæ ad universip terrarum orbis fata pertinere videntur. Nec profecto tirones soli heic loci admonitione quadam opus habent, sed adeo inter autores Compenderiorum multi; qui cum hanc observationem negligerent, libros

❀ ♦ ❀

libros suos multis nominibus & narratiunculis implevere de ejusmodi populis, quæ vix tum locum invenire poterant, cum ampliorem eorum historiam (specialem) conscribere in animo habuissent; multo minus cum universi fata in Compendium & summulam coarctarent. Quantam vero utilitatem habebunt v. c. Assyriorum Regum series, aut Aegyptiorum veterum? si vel certissimæ fuerint? Scio igitur mutationes universi, cum barbara nomina hoc, illo ordine legam? Laudemus diligentiam eorum, qui incognita ista vocabula aut rectius scribere, aut accuratius ordinare docuerint. Assyriacam, Aegyptiacam &c. historiam, si placet, accuratiorem reddent. At in universalis historia ista opera nullo modo desideratur, nisi de gestis aut factis eorum Regum constet, quibus potior terræ pars aut levata fuerit aut concussa, aut quacunque ratione mutata. Non equidem mihi eam hujus scientiæ institutionem maxime probo, quæ paucis verbis plura reliquis complectitur, sed quæ ea maxime selegit, quæ a magna humani generis parte tractata sive ad salutem sive ad perniciem populo rum valuerunt.

Nor. Audiatur Clariſſ. SCHRÖCKH in præf. ad Compendium historiæ universalis: „Hat man gleich besonders in Deutschland nach dem wahren Begriff einer allgemeinen Weltgeschichte die Lehrbücher derselben bis auf die neueste Zeiten eben nicht verfaßt; so waren doch gewiß alle Schriftsteller darinnen längst einig, daß in der gedachten (allgemeinen Welt-) Geschichte, wenn sie insonderheit der Jugend vorgetragen werden solle, nicht bloß eine Sammlung vieler Erzählungen von allen Zeiten und Völkern, sondern eine Auswahl



„der grössten Begebenheiten, welche zu der Veränderung der Welt
„im ganzen genommen das meiste beigetragen haben, Platz finden müssen“
Similiter idem, vorläufig. Begriff der allgemeinen Weltgeschichte
§. IX. p. 25. „Es gehören also in dieselbe hauptsächlich nur die
„große Weltbegebenheiten, solche, welche das menschliche Geschlecht im
„ganzen genommen betreffen, die es erklären, wovon Zeiten, Völker
„und Länder einander so unähnlich sind, und die Jahrhunderthe mit
„einander verbinden“

§ 17.

Neque illud præterire volumus, incidisse saepe tem-
pora, cum eadem ætate, sed in diversis mundi partibus
aut in diverso genere, magnæ notatuque in primis dignæ mu-
tationes evenirent. Earum haec, quæ proxime ad popu-
lum non pertinent, cuius imperium cum historiæ univer-
salis serie conjunximus, tamen non omitti debent aut ne-
gligentius commemorari, quod in usitatis libellis haud raro
fieri videmus. Deinde quemadmodum conditio hominum
populorumque variis modis variare potest, ingenio, arti-
bus, scientiis, moribus, regiminis forma, religione, con-
junctionibus, commerciis & quæ sunt hujusmodi, ita hi-
storiam universalem, quæ veri nominis atque cum amplitu-
dine sit, sciamus nihil harum rerum repudiare, si quid ad
mutandam universi formam voluerint. Denominatur autem
universum, quod facile intelligent Lectores, a magna aut
potiori parte mundi, nobis e quoque ætate monumentis cer-
tis cogniti. Igitur ad ista omnia, quæ diximus, attendere
debet diligens historiæ universalis auctor, & quantum aut
vetu-

vetustatis memoria reliquit, aut ipse reperit, breviter exhibere. Nec nos quidem negamus, earum rerum unamquamque materiam esse posse historiæ universalis ita, ut sit historia universalis artium, commercii, religionis, cet; imo valde optabile fit, ut a doctis peritisque viris ea negotia suscipiantur magisque provehantur, ut quaue sua parte historia universalis perficiatur: Inde enim postea transsumi in illam summa capita utiliter possent. Nam illud etiam in primis præstare arbitror debere historiam universalem, ut monstraret majores mundi *in quoque genere conversiones*, atque adeo principia contineat historiæ omnis.

Not. Legum quidem, artium & scientiarum universalem historiam scribere coepit GOGVET, cuius libri (*de l'origine des Loix, des Arts & des Sciences & de leurs progres chez les anciens peuples Par. 1758.*) etiam germanica prostat Interpretatio. Sed in Cyri aetate auctor substituit. De Commerciorum historia (Anglorum quidem in primis) ANDERSONVS scripsit, cuius pars quinta nuper in vernacula versione prodit: *bistorische und chronologische Geschichte des Handels von den ältesten bis auf jézige Zeiten.* In his aliisque libris, quamvis parrium historiæ universalis *actus* continetur, multa tamen utilia atque ad propositum pertinentia inveniri & colligi possunt.

§. 18.

Unde etiam excusari poterit illa librorum nostrorum consuetudo, quæ facile vituperabilis videri possit, cum magno temporum intervallo in historia universalis una fere narratione Mosaica & priscis Iudeorum libris nitantur. Solet enim



enim antiqua hebræorum historia e Mose & prophetis prope integra in universalem recipi, quæ, quamvis divina & fide omni digna sit, plurima tamen habet, angustis tum temporis tum provinciæ limitibus circumscripta, quæ de nostra, quam declaravimus, sententia ab universalis historia abesse & poterant & debebant. Tamen hæc absque errore fieri existimo, quod religionis revelatæ origo atque evolutio intexta fatis populi Iudaici sit, quæ sane magnum est historiæ universalis objectum; deinde ob auctoritatem justam & divinam, qua apud nos valet scriptura sacra. Cum enim omnino deest historia universalis, quid tandem rectius atque utilius locum ejus occupabit, quam commemoratione earum rerum, quæ nobis divina fide servatae sunt atque etiam nunc cum religione nostra maxime conjunctæ? Modo teneant hoc studiosi historiarum, se, dum Iudeorum fata judicesque legant, non universalem tractare historiam hactenus, ut populus iste universum terrarum orbem ea ætate rexerit: sed universalem eo sensu, quod apud eum inveniantur semina aut principia veræ religionis, & Christianum quemcunque hominem pudere debeat, ea ignorasse, quæ divina sapientia e prisco mundo nobis retulit.

S. 19.

Putem jam satis de objecto historiæ universalis dictum a nobis esse. In tractationem ejus admittimus non nisi ejusmodi res aut personas, quibus notabiles communesque effectæ sunt in aliquo genere univerli mutationes; quam si parte aliqua breviorem reddidimus, alia tamen argumentum illius

illius non parum dilatavimus. Comprehendi enim ea optamus non res tantum civiles, sed & quæ moribus hominum, religioni, scientiis & artibus novam induerunt formam. Accedamus jam ad methodum. Ejus enim quanquam particulas quasdam jam subiœnuimus, tamen restant alia, non omnino contemnenda.

S. 20.

Est autem methodi, disponere: quod sit tum universo tractationis ordine tum singularum partium prudenti divisione. Illum video vel syntheticum dici vel synchronisticum. Sed & syntheticum ajunt varios habere posse tractandi modos, Chronographicum, Technographicum, Geographicum, Ethnographicum. Nos, ut hæc mittamus, *triplicem* maxime *methodum* observavimus, qua historia universalis proponi solet. Prima est *chronologica*, qua omnis generis gesta, aut homines promiseue pro temporum serie, in quæ incidentur, recensentur, quam veteres fere sequi maluerunt: altera dici posset *Ethnographica*, qua præcipui cujusque etatis populi eorumque fata minus interrupte enarrantur. Eam recentiores maxime auctores reliquis prætulerunt. Tertia denique *Synchronistica* est, qua populorum historia, columnis distincta, pro certis temporum periodis una tabula ante oculos proponitur. Ea in primis probabilis debet esse his, qui universalem historiam aggregatum esse dicunt aut putant ex omnibus historiis specialibus. Certum est, unumquemque modum tum commoda sibi propria habere tum vero etiam incommoda, & suo quemque arbitrio in ea re facere posse.

Not. Ethnographicam methodum & exemplo & auctoritate in primis commendavit Cel. GATTERER in *Bibliotheca historica* Tom. I. p. 28.

D

qui

qui tamen difficultates, quibus & illa premitur, non retinet. „Man
„macht sich seit einiger Zeit den Plan (in der Universal - Historie)
„meistens entweder nach gewissen Epochen oder nach Nationen. Ich
„nenne unter den Büchern der ersten Classe das Freyerische anstatt
„aller. Ich kan mir nichts widersinniger vorstellen, als der Plan
„dasselben ist. Die Geschichte, die gänz Zusammenhang seyn sollte,
„ist in lauter kleine abgesonderte Stücke zerschnitten. — Der unge-
„zweckvollste Plan einer Universal-Historie scheint der zu seyn, der
„nach den Nationen d. i. also eingerichtet ist, daß man die Geschich-
„te der Nationen einzeln nach einander erzählt, und übrigens bey
„jeder National-Geschichte die chronologische Ordnung beobachtet. Auf
„diese Art haben PUFENDORF, STRUV, und andere mehr Universal-
„Historien geschrieben. Man wird leicht einsehen, daß auch wieder
„den Plan dieser Bücher noch sehr viel eingewendet werden kann.
„Sie tragen zwar die Geschichte einer jeden Nation unzerstört vor,
„willein sie vernachlässigen zugleich gänzlich die Regeln des Gleichzei-
„tigen. „ Synchronisticam vero methodum maxime laudavit BERGE-
„RVS in *disputatione de historia universalis per synchronisnum tractanda*
(Lipf. 1728.) Prior illa divisio methodi in syntheticam & syn-
chronisticam, e Clarissimi SCHLÖZERI l. c. sumta est §. 38. seq. p. 291.

S. 21.

Olim secundum *quatuor monarchias* tractata fuit *historia universalis*. Unde ista methodus provenerit atque invaluerit, nihil attinet dicere, cum jam ea uti desierimus. Illud certe inde discimus, a longo tempore præcipiorum populo-
rum historiam pro filo historiæ universalis commodissimo
habitam atque inde assuntam fuisse. Quod idem jam pro-
batissimos nostræ ætatis auctores facere videmus, ut histo-
ria populi, quoque ævo principis, in universalis historiæ de-
cursu quali dominetur. Neque id supra improbabimus, sed
qua cautione opus fit, eodem in loco quodammodo signi-
fica-

ficavimus: altera, ne de tali populo in historia nostra nisi ex maxime res, ea gesta exponantur, quibus cum reliquo universo communicaverit. Reliqua particulari aut speciali gentis historiæ servanda erunt. Alteram autem cautionem nunc addimus, ut populus suo quisque ordine & loco in universalem historiam introducatur; protrahendus in scenam tum, ubi in celebritate historiæ vivere atque cum auctoritate aut cum reliquis aut præ ceteris agere cœpit, memoria quasi seponendus simul atque amissa sua dignitate pristina aut omnino nihil egerit, aut parum in universum effecerit.

§. 22.

Disputatum est nuper de universis terrarum populis, quorum aut fata aut nomina certe ad nos pervenerunt, vitioque dari a quibusdam voluit historiæ universalis, si quem populum recensere omittat. Quod quam dubium videri queat, præmonimus. Quemadmodum enim nihil eorum ad historiam universalem referri debebit, quæ ad formandum mutandumque terrarum orbem, quantum constat, nihil contulerunt, ita neque integræ gentes, quæ in obscurò mundi angulo delituere, in ista locum requirere poterunt. Sed haec opinio inde profecta est, quod historia universalis aggregatum sit historiæ populorum omnium: quanquam vix nuda gentium nomina nosse, misera fuerit historiæ materia! Tamen si quis velit populorum seriem, catalogum, species, genealogias cum historia universalis conjungere, non disputabimus contra. Illud autem etiam atque etiam rogabimus, ita facere velit, ut ne parva atque incerta gentium diversarum initia historiam universalem, i. e.

D 2

Sum-

summos latissimeque patentes eventus interstrepant, quod foret contra præcepta historiæ bene enarrandæ. Igitur aut omnino in Geographiam vel Specialem populi historiam rejicienda erunt, aut familie & successiones gentium una alterave tabula simul semelque proponendæ & explanandæ.

§. 23.

De his cogitanti mihi in mentem venit hoc consilii, ut recercentur uno quasi tenore & nexu, quoad ejus fieri possit, atque monumenta prodant, mutationes universi nobiliores atque ad populos terrarum pertinentes; quæ narratio ipsam universalem historiam constitutat, prout declaravimus. Sed commodissime atque utilissime addentur subinde Synchronisticae tabulæ, ea significantes atque ad animum revocantes, quæ eodem tempore, apud diversas gentes, in diversis locis, denique ex diverso rerum genere acciderunt: non quod ea omnia ad historiam universalem, de sententia nostra, referenda sint propriæ; sed quod ita adjuventur ii, qui communis historiæ capita distinctius & amplius cognoscere cupiunt. Qua ratione si qui, præferunt iterata diligentia, cum iis periodis, quæ ex specialibus populorum historiis incident, comparare volent; alterum sane historiæ genus altero mirifice illuстрabitur, atque omnia etiam in memoria penitus insidebunt.

§. 24.

Dixi de *universo ordine*. Supereft ut de *intervallis temporum* agamus. Et scimus quidem, nos ad eum locum pervenisse, de quo hoc nostro tempore acriter nec sine indignatione fuerit disputatum. Liceat, quid nobis videatur breviter, libere & modeſte dicere.

Certa

Certa temporum intervalla aptasque periodos, uti in historica commentatione omni, ita in universalis historia in primis investigare & observare cum necessarium esse arbitramur, tum non valde difficile. Etenim si nulla est ars, scientia nulla, præsertim aliquanto amplior, quæ uno quasi halitu ita effundatur, ut ne in plura & sejuncta capita ejus tirocinia dividantur: Sane idem historiæ universalis tanto liberalius concedendum erit, quod in ea incredibilis sit rerum multitudo atque varietas. Ea quidem, ut fit, delectat animum & suaviter afficit, sed per partes & per requiem quali conspecta & in mente collecta. Certe si quis per regna mundi iter faciat, ita ut locis majoribus, recreandi animi causa, diutius commoretur, voluptatem is inde capiet & fructum. Qui si uno cursu immensam illam viam facere velit, velut umbræ Imperia transvolabunt, certæ danda oblivioni, simul ac fessus & pertitus itineris domum redierit. Sed tempora &, quæ in iis acciderunt, rerum Vicissitudines, quasi vastas provincias peragrat historiæ universalis Studiosus. Lapidès sunt, ad quos confideat viator; Epochas dico, quas observare adeo naturæ consentaneum est, ut omnis temporis auctores in eas omnem historiam diviserint.

§. 25.

Has easdem autem definiendi modus est in universum duplex; alter a temporum mensura susatus, alter a casibus notatu dignioribus. Qui si a se æqualibus temporum spatiis distarent, in observando tenendoque rerum ordine magnopere levaremur. Sed cum astrorum cursus cum rebus humanis ista ratione non consentiat, ut graviora quæque in lustra aut de-

D 3

cen-

cennia incident, aliqua inde difficultas atque etiam controversia in definiendis Epochis orta est. Quidam enim cum observassent, ab ejusmodi temporum intervallis tractandæ historiæ vim quodammodo inferri, eum historiæ dividendæ modum repudiarunt. Molestiam omni tempore facessent memoriæ definiti isti annorum numeri, præsertim ubi aut majores sint aut copiosiores. Atque etiam illud fatendum erit, eos numeros parum ad philosophicam historiæ cognitionem conferre, quæ potius intelligentia nexus rerum metienda est. Quanquam autem accurata temporum annorumque determinatio, si omnino ita placeret, separari posset ab historiarum expositione; tamen in ea operæ pretium fuerit, nisi ad vanitatem, quod sœpe fit, abutamur hac arte.

S. 26.

Illud autem omnino statuimus, epochas, quas habet historia omnis, adeoque etiam universalis illa, non tam ab æqualibus temporum partibus, quam a rebus ipsis, i. e. a vicissitudinibus rerum nobilioribus sumendas esse. Nam, quæ ex priori genere repetuntur, res ipsas raro aut nunquam connectunt: deinde ista intervalla, quasi a priori determinata, gravissimas sœpe historias plane divellunt, quo nihil potest esse ineptius. At facilem ipsi memoriae rerum seriem reddunt illæ, quæ a nexu formaque rerum pendent, quanquam annorum numeri adscripti paulo sunt difficiliores.

S. 27.

Qua in re quæsitus nuper est, aut suadebatur potius, ut numeri rotundi ad figendas epochas, quantum fieri possit, adhibeantur, ut facilis est conjectura, propterea quod memo-

memoria eos libentius observet, tutiusque teat. Et quod hic de memorie vi admonetur, non omnino negare audeamus, quanquam subinde ea rotundis numeris similiter perturbari queat. Sed ista res incertam aut indefinitam facit partem aliquam historicæ enarrationis, quam habere possemus certam & accuratam: Faciliores tamen nos præbemus, ubi chronologia ipsa non admodum plana aut expedita est, ut prisorum populorum. Ceterum consultum non ducimus ea quasi celare, quæ cognita & undique definita esse sive novimus sive credimus, cum prima sit historie lex, omnia quam verissime atque accuratissime exponere. Neque nos quidem hanc licentiam dabimus compendiis historiarum. Existimamus enim in his libellis omnium minime ferri posse, quæ non exacte satis sint posita, præsertim cum juvenum memoria facile eas molestias toleret, aut sustineat, quas provectione ætas declinat. Tamen ne adversus bonum consilium morosi & difficiles esse videamur, forsitan epocharum chronologia notari possit duplici modo: tum accurate & vere, tum vero etiam rotundo numero expressa; ut qui priorem computationem retinere nesciret, posteriori saltim inhæreret. Atque idem etiam de alio quodam præcepto admonitum volumus, quod vult, ut numeri minores fiant, adeoque millenarii & subinde etiam centenarii omittantur, quæ res oblivious aut negligentes homines in magnos errores rapere possent.

Not. Ex his intelligent lectors, quibus cum cautionibus approbemus ea, quæ proposuit clar. SCHLÖZER *Ideal der Weltgeschichte* p. 261.
 „Das gewöhnliche Mittel den Synchronismus zu erläutern warum
 „bis“



„bisher Zahlen. Man hielt dieses sogar für das einzige Mittel. Man
„nahm dazu große Zahlen von Erschaffung der Welt an gerechnet.
„Und endlich entstand der Schulbegriff, daß derjenige den Syncrono-
„nism oder die Chronologie verstände, der seinem Gedächtnisse
„eine Menge solcher Zahlen aufgeladen hätte — Wirklich giebt es
„viel Künsten, die Schrecken der Chronologie zu mindern, die so
„manche von dem studio der Weltgeschichte wegscheuchen; ich wünsche
„Zahlen aber kleine und leichte Zahlen: ich brauche gar keine Zah-
„len, sondern beschleiche das Gedächtniß durch Realzusammenhang
„und durch Vergleichung, daß es auch ohne Vorsatz den Syncronismus
„bebelt.“ Hæc comparentur cum disputatione viri doct. adversus
Rev. HERDERVM, zweeter Theil pag. 290. seq.

§. 28.

Declaravimus, quæ nobis de historia universalis idea se-
deat, qualis methodus placeat: non id operam dantes, ut
quid nove dicamus, sed ne quid arroganter. Sunt quidem
multo plura historiæ universalis vel docendæ vel descendendæ
præcepta: quæ si hic non inveneris, lector, scias, nos
jam de his unice cogitasse, sententiamque nostram voluisse
moderate dicere, quæ nuper non sine animorum exacer-
batione inter doctos viros disputata sunt.

Errata.

pag. 3, 4. pro: qua l. quæ. pag. 6, 14. pro: scientiam l. sententiam.
pag. 18, 22. pro: reddeabat l. reddebat.



Na 40.
gw



VP78

NC.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



HISTORIAE UNIVERSALIS IDEA ET METHODO

AVSPICE DEO

RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ

MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO

D O M I N O

C A R O L O

DVCE WVRTEMBERGIAE ET TECCIAE REGNANTE

Rel. Rel.

AMPLISSIMI SENATVS CONSENSV
PRO LOCO IN PHILOSOPHICA FACVLTATE

RITE OCCVPANDO

DIE 3VL. MDCCXXVII

DISPV TABIT

CHRISTIAN FRIEDER. ROESLER,
PHILOS. MAG. PROFESSOR HISTOR. PVBL. ORD.
RESPONDENTE

IACOB. CHRISTOPH. LUDOV. VISCHER,

Vaybingensi,

MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATO ET SERENISSIMI
STIPENDIARIO.

T U B I N G A E
LITTERIS SCHRAMMIANIS.